

non potest accidere tempus, ut intersit rei publicae, quidquam illorum facere sapientem. Quare hoc quidem effectum sit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum societate. Etenim cognitionem prudentiamque sequitur considerata actio. Ita fit, ut agere considerate pluris sit, quam cogitare prudenter. Atque haec quidem haec. Patefactus est enim locus ipse, ut non sit difficile in exquirendo officio, quid cuique sit praeponendum, videre. In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus, quid cuique praestet, intelligi possit: ut prima diis immortalibus, secunda patriae, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur. Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, non solum id homines solere dubitare, honestumne an turpe sit: sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius.

Fin. V. 10, 11 (12 et 13 vid. supra), 14. Omne animal se ipsum diligit. Quod quamquam dubitationem non habet (est enim infixum in ipsa natura, comprehenditurque suis cujusque sensibus, sic, ut, contra si quis dicere velit, non audiatur), tamen, ne quid praetermittamus, rationes quoque, cur hoc ita sit, afferendas puto. Etsi qui potest intelligi aut cogitari, esse aliquod animal, quod se oderit? res enim concurrent contrariae. Nam quum appetitus ille animi aliquid ad se trahere coeperit consulto, quod sibi obsit, quia sit sibi inimicus, quum id sua causa faciet: et oderit se, et simul diliget, quod fieri non potest. Necessesse est quidem, si quis ipsi sibi inimicus est, eum, quae bona sunt, mala putare, bona contra, quae mala; et quae appetenda, fugere, et quae fugienda, appetere; quae sine dubio vitae sunt exersio. Neque enim, si nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos, aut alia exitia quaerant, aut, ut ille apud Terentium, qui decrevit *tantisper se minus injuriae suo gnato facere* (ut ait ipse), *dum fat miser*, inimicus ipse sibi putandus est. Sed alii dolore moventur, alii cupiditate;